



Dissertatio medica inauguralis de podagra, sive pedum dolore

<https://hdl.handle.net/1874/343808>

41.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

PODAGRA,
SIVE
PEDUM DOLORE.

AUSPICE ^{QUAM} DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOHANNIS GEORGII GRAEVII,
Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimeque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite & legitime consequendis,

Publico examini subjicit

DANIEL VOET, HEUSDANUS.
Ad diem 12. Decemb. horâ locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academice
Typographi, clc Icc xc.

**NOBILISSIMIS ET GRAVISSIMIS
VIRIS**

D. JOHANNI VOET,
J.U.D. ejusdemque Facultatis in Illustri
Batavorum Academia ut & Juris ho-
dierni Professori Ordinario ,

D. PAULLO VOET
van WINSSEN,
J. U. D. Civitatis Ultrajectinæ Viro
Consulari, ad Celfissimorum & Poten-
tissimorum Foederati Belgii D. D. Or-
dinum Generalium Confessum olim de-
legato , nunc vero Illustribus ac Po-
tentibus Dioceſeos Ultrajectinæ D. D.
Ordinibus a Secretis : Cognatis suis ac
Patronis æternum devenerandis ,

*Hoc qualemque exercitium juxta
cum se ipso*

Humillime offert

D. VOET, Auct. & Resp.



D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S

D E

P O D A G R A.

C A P U T P R I M U M.



Ulti sunt dolores quibus corporis divexitur artus : hi namque ossium obsident membranas , illi nervos infestant , alii musculos lacesunt , vel medias regiones tentant , quales aut lues vene- rea , aut simplex fluxio proferre solet . Alii dumtaxat articulos occupant , queis quasi defixi inhærent ; atque hos solos sub ARTHRITI- DIS nomine complector .

Varias hujus mali recensent Auctores differen- tias , quas non percurram omnes ; verum commune , quod ex affectis petitur locis , digito tantum monstrabo discrimen : sic quæ manum exer- cet fluxio , Chiragra nuncupatur ; quæ coxendicis articulum , Ischias ; quæ genu , Gonagra ; quæ pedem fatigat , PODAGRA audit ; atque hic est affectus , quem breviter exponere institui . Sed ut omnium quæ sunt , quæque dicuntur , ordo est ac modus , ita & ego in elaboranda Thesi hanc servari velim , qui nomen præmittit , phænomena subjungit , sedem affectam indicat , causas aperit , differentias notat , præsentia co- gnoscit , futura prædictit , vere curam præscribit . Quibus rite pertracta- tis , me scopum attigisse latabor .

DISSERTATIO MEDICA

C A P U T I I.

AD nomen igitur. *PODAGRA*, ex Græco originem trahens, quasi
ποδῶν ἄγρα, hoc est, *pedum captura ac venatio*. Id enim est
ἄγρα. Unde *dyspepsia*, *venari*, *venatu capere*. Ex quibus colligas *Po-*
dagra vocabulum de pedum cruciatu proprio dici: interdum tamen pro
affectione *Arthritica sumi*, in Scriptoribus vel leviter versatum, nemini-
nem fugit. Hinc Galenus ad *Hippocrat.* libr. sext. *aphorism.* LV. per
ποδαργινὰ νοσήματα quoslibet intelligi notat articulares affectus. La-
cianus quoque *Dialogum* suum, qui est de *Arthritide*, *Tragopodagram*
inscripsit. Ita Cardanus & alii fere omnes, qui *Podagra* laudem scrip-
runt, *Arthritidem* videntur in genere tractasse: ast disceptationis nostræ
titulus angustiori in sensu acceptam vocem indicat.

C A P U T I I I.

Explicato verbi significatu, ejusque tradita acceptance, ad ipsam af-
fectus nostri progredimur descriptionem, ubi videndum primo,
quibus phænomenis in ægrorum corpore sese manifestare consueverit,
ut eo melius hunc ab aliis distinguamus morbis, ac tanto certius in
eius inquiramus causas.

I. Movetur ergo dirus ille hostis infelicissima anni tempestate, pri-
mi nempe mensis sine, secundi initio, hoc insuper addito malo, quod
vim suam tum maxime exerat, cum vita & luce terra ferme destitui-
tur.

II. Priusquam tamen suas adducat copias, venturam stragem præsagit
appetitus voracior, qui non longe obsessionem præcedit.

III. Posthæc descensum aliquem ad affectam partem Podagrī per-
ficiunt, quem artuum comitatur & torpor & gravitas.

IV. Dein alia subsequuntur mala, capit is scilicet vertigo ac dolor.

V. Tandem ipse adeat paroxysmus, ah! qua tunc non agit ferocia?
quas non invadit partes, simul quasi deprædaturus omnia? nunc tubu-
los tendit; nunc ligamenta rodit, vellicat, pungit, lacerat; imo omni
humana major est patientia, cum vehementi admodum dolore mox pe-
dis pollicem adoritur, subito talum arripit, repente calcaneum habet,
jamjam suram prehendit; nec ante conquiescit, quam totum articulum

præ-

INAUGURALIS.

prædam certam sibi fecerit, hoc est, summa vi ac impetu in illud omne irruerit, quod ad articuli structuram, firmitatemque natura comparavit.

VI. Verum-enim-vero tam crudeli sæviente hoste, lectum cœl asylum aliquod podagrī petunt, & sub plumis miseriam suam sepelire hantur: at nec inde quid optandum solaminis, verum multa potius expectanda clades; id, quod testantur tot volutationes, tot posituræ, jam in sinistrum, jam in dextrum latus. Mille modis thorū suum perceptat languens, ut aptum denique ad sopiendos dolores reperiat locum; sed incassum tentantur cuncta.

VII. Adhæc cernimus venas articulis vicinas, quod atrocis tyranni viribus longe sint minores, plurimum turgere ac distendi.

VIII. Mitigato paulum vesano hostis impetu atque audacia, sanguinis instar se visendam præbet rubicunda cutis aut inflammata, quam non raro sequitur cœdemosus tumor; aliquando etiam materia, calcis vel cretae speciem præse ferens, medio juncturæ spatio hæret; malorumque agmen & claudit pruritus intolerabilis, & partium cutanearum instar furfuris voluntaria prolapsio.

C A P U T IV.

Habita quoque φανομόσιων ratione, & quæ de dolente loco dicenda erant, ostensis quam brevissime: jubet nunc posita ante methodus, ut ad caussas devolvamus. Ex harum serie, in qua texenda perquam longi sunt Auctores, solam hic tangemus proximam, de remota quid sentiendum sit, sequenti visuri capite.

I. Missis igitur ullo sine examine variis Scribentium opinionibus, ex parte illam, quam habet Willisius, amplectemur sententiam, utpote qui continentis caussæ ducat ortum à sale quodam fixo, acido, quod in podagrīcī an revera detur, iure posset dubitari, nisi illud existere plura omnino evincant argumenta.

II. Etenim nec scio, nec aliud cognosco corpus, producendis Podagrī morbi phænomenis tam aptum, tam conveniens, præter istum quem posui salēm, per quod cuncta quæ Podagra caussat, explicari satis clare queunt.

III. Ut tamen, quam nudis protuli verbis, stabili ratione firmem ly-

pohesin, meminisse oportet Podagricorum diætam, aut ante habitum

6 D I S S E R T A T I O M E D I C A

vivendi modum, in vietu multo sale abundantia ut plurimum extitisse, qualis esse solet larga vini potio, quod, sicut volatilibus scatet, fixis salibus viam sternere aptum quoque natum est.

IV. Præterea nec deest mihi, ut in Philosophantium scholis dici solet, à posteriori demonstratio: ubi enim celeberrimum Kerckringium incessit curiositas per artem Chymicam examinandi excrements Podagraria, ingentem spitorum ad tartari consistentiam concretorum copiam colligendam curavit: eaque secundum artis illius dictamina, in elementa sua resolventi, primum dederunt spiritum quendam inter spiritum tartari, & salis ammoniaci quodammodo medium, acidorem nimurum illo, hoc mitiorem. Oleum ab oleo tartari vix poterat distingui, tam exacte illud colore, fætore, & consistentia referebat; nec sal ex capite mortuo extractus, longe ab eodem sale tartari abludebat, nisi quod sapore quodam extraneo infectus, ingratans quandam stomacho pariebat nauseam.

V. Denique peccantis materiæ naturam probavero ex juvantibus simul ac lædentibus: observant namque Practici, morbi hujus curam potissimum perfici per salia volatilia, balsamica, quæ acidum concentrant, infringunt, temperant, non autem per nimis Spirituosa, utpote quæ sanguinem magis exaltare faciant.

Atque hæc de probatione hactenus allata sufficerint argumenta: brevitati enim per omnia studens plura non adducam quæ habeo; verum ulterius perscrutabor, unde humor ille peccans, & quo itinere ad articulum male affectum dilabatur. Ex Veterum pariter ac Recentiorum scriptis hoc cognoscere perquam est difficile; præsertim cum plerorumque hac in re Medicorum non unus omnino est consensus. Hi ab hepate, illi ex capite per summa corporis sub cute humoris fluxum ducunt, alii derivant aliunde. Nos autem humorem morbosificum, id est, materiem salino-acidam, salino quodammodo fixam, per omnem crux massam tanquam focum diffusum putamus, eumque censemus cum sanguine simul per arterias seu canales in extimas corporis partes ferri, in quas ubi decubuit, miseranda prorsus symptoma excitat.

C A P U T V.

Conjunctam caussam sequuntur remotores, quibus ad numero cuncta ea, quæ omni modo sal illud acidum, fixum non-nihil, in modis

INAUGURALIS.

7

~~modicis~~ corporis inferre, illatum adaugere valent. Has vulgo causas
Medici sub *sex rerum non naturalium* comprehendunt nomine, quæ si
rite administrentur, sartum tectum conservant corpus, sin minus, idem
illud corrumpi ac labefactari sinunt.

I. Ex harum Classe primum sece offert *Aer*, maximus sane in omnibus, quæ corpori accident, & Auctor & Dominus. Quare operæ pretium est ejus potentiam (præsertim hic in generando morbo) diligentius perspicere. Censendus itaque noxius, si frigat plus nimio, fuliginibus scateat, impurus sit, inquinetur folidibus, propter anni mutationes, quæ plurimum Vere fiunt & Autumno, varie multumque afficiatur. Per quæ via stringuntur cutis pori, sanguis humoresque stagnanti, per insensibilem spirationem quæ foras eliminanda sunt non promoventur satis, vel plane atque omnino retinentur; sicque producitur malum, productum in deterius nonnunquam vergit.

II. Secundum locum jure merito *Cibus* occupant atque *Potus*, quorum vis est aëri proxima. Hæc alimenta sunt ex quibus vivimus, unde nutrimur, ex quibus male habemus, & etiam morimur. De cibo dicemus prius. Is est, qui varia ratione creando morbo materiam pabulumque suggerit, cum vel qualitate lœdat, aut copia gravis sit. Qualitate nocet, si supra modum ingeratur frigidus, viscosus, salsus, acidus, ad concoquendum difficilis, quippe qui gignendæ Podagræ ansam uberrime præbet. Offendit item copia, sic ut nec integre coqui, nec in purum sanguinem verti possit, verum cruditates cumulat, quæ cum ab languente ventriculi fermento nequeant domari subigique, corruptuntur morbumque faciunt. Sed neque hisce standum est, dampnum etiam cibus fert ac detrimentum *injusto* assumptus modo atque tempore.

Jam de potu. Quid huc conferat, quantumque præstet vel solus Rhenani Vini (ut de cæteris fileam hujus naturæ liquoribus) immoderatus usus, & hi satis superque norunt, qui periculo suo id habent quid sit podagra. Et nos ratione supplebimus quod benignè sensus denegavit. Putamus enim per tale vinum, utpote spiritu volatili pauciore præditum, non modo latentem affectus nostri caussam in actum deduci exagitarique, verum etiam augeri spiritum acidum in corpore nimum.

III. Nunc ad motum pergiimus, eique oppositam quietem. Utraque

D I S S E R T A T I O M E D I C A

si modum habeant, nil damni afferunt, illum si excesserint, labem vitiumque corpori imprimunt. Constat autem per nimia exercitia sanguinis vinculum solvi, spiritum dissipari, in auras ire, humores aciores reddi, artus debilitari, totum denique corpus refrigescere.

Contra immodica quiete non quidem difflatur spiritus, sed qui remanet quasi terreus fit, crassus, ad obeundas tum animi tum corporis actiones minus agilis, ineptus, hinc & fortes gignuntur, quæ, quod à segni tardoque spiritu non queant expelli, in morbi materiam faciunt.

IV. Hisce de motu ac quiete plane intellectis, quisquis es, in explicando somno & vigilia non facile haesiris, eandem enim vim habent ac potentiam; quapropter de his quæ ulterius indaganda forent levi brachio præterimus.

V. Insuper etiam morbo nostro symbolam dat *solitarum vacuationum retentio*. Ita est in assuetis mensium suppressio, hæmorrhoidum, urinæ, sudoris, fæcum alvi, & similiū; unde vasa impura fiunt, viscerum fermenta inquinantur, fuligines inhibentur, serum coacervatur, tandemque ad statum P. N. disponit.

Atque hæc à retentis mala: ab iisdem ultra modum, aut consertim excretis, meliora ne sperato. Instar omnium *Venus sit immodka*, secunda illa podagræ mater, quæ totum corpus effeminat, ventriculi tonum prosternit, naturalem articulorum compagem relaxat, spiritum exhaust, balsamo suo sanguinem privat, per quod alias refrænandus esset saluum fervor, partiumque humiditates procurandæ.

VI. Ultimo loco animadverti merentur *animi motus concitatores*, qui quid ad morbos contribuant, conseruantque, nemo est qui nesciat, vel leviter Medicinæ studio imbutus.

C A P U T VI.

Enucleatis cauissimis, tum proxima, tum remotis, ad Podagræ *differentes* tias accedimus, quas perstringemus breviter. Variat igitur malum

I. Ratione originis, sic ut vel innatum sit, vel adscitum. Innatum seu hæreditarium illis est, qui parentibus eidem morbo obnoxii sunt, aut articulos eorumque spatiâ laxiora habent, proindeque ad sevientes humores admittunt facilius. Adscitum, quod diætae vitio, erroreque

I N A U G U R A L I S.

erroreque vitae contrahitur, ut per cibum potumque nimis falsum, acidum, labores immodicos, frigus vehemens, immoderatam Venerem &c, quæ suo loco fusi s explicavimus.

II. Differt quod ad symptomata; unde vehementius vel mitius agit, ægrotosque majori minorive cruciatu distorquet.

III. Distinguitur à suo tempore; aliud namque recens; aliud inveteratum est; utrumque vel continenter affligens, vel per certa rediens intervallo.

IV. Discrepat rat. ætatis, sexus, status hominum, conjuctorum & eventus; quæ sigillatim expendere, eorumque caussas dare res esset maximæ moræ, arctioresque quos constituimus terminos longe superaret.

C A P U T VII.

POst differentias moneret ordo *præsentis morbi signa* patefacere. Sed quoniam ex illis innotescit clare, quæ supra diximus, suique ipsius ipse morbus certissimum indicium fert atque argumentum, hac opera commode poterimus supersedere, ad *Prognosin* interim festinantes.

C A P U T VIII.

I. **P**Odagra ex se & sua natura mortem rarissime inducit. Quanquam enim à variis quibus stipatur symptomatis vires ita collabuntur, ut ægri tandem succumbant: tamen hoc non sit nisi longo tempore. Et affecti ad seram sèpè senectutem vivunt, quod natura humores vitiosos, ex quibus funestiores morbi oriri poterant, ad extrema corporis relegate, atque adeo ab omni labe nobiliores partes defendat.

II. Cum tamen periculosæ inflammations, vel febres acutæ superveniant, aut natura impar sit expellendis noxiis humoribus, aut alio deducat quo ante consuevit, ægrotantis vita maximo in discrimine versatur. Vel quod majus est, si ad summum dolorem jungantur deliria, convulsiones, paroxysmes, apoplexia, tremor cordis, spirandi difficultas, animi deliquium, non obscura quædam signa habes & notas, quibus indices mortem quotidie imminere.

III. Diximus ergo Podagram ex sua natura lethalem plerumque non esse; nunc quæstio oritur, sit ne sanabilis, nec ne sit? utrumque pro-

10 D I S S E R T A T I O M E D I C A

nunciamus: quæ in ortu est intellige, non quæ radices altiores egit, ne-
scit enim Ars Medica nodosam tollere. Quoties seminum vitio à parenti-
bus in liberos transit, malum est immedicabile, aut saltem expugnatu
perquam difficile. Videamus quæ de Podagrīcīs Hippocrates habet: qui-
cunque inquit (adferam verba ejus in Latinū versū) aut senes sunt, aut
circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut arumnose videntur, ac
fiecam alvum habent: hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quantum
ego novi. Sanant quidem hos optime, dysenteria si successerint. Sed & alia
eliquationes valde prossunt, quæ ad infernos locos repunt. Qui vero juvenis
est, & circa articulos nondum tophaceos callos concretos habet, & accurare
vivit, & laboris amans est, & alvum bonam habet ad obedientium pro stu-
diorum ratione, hic sane medicum intelligentiam habentem nactus, sanus
sieri poterit.

IV. Quæ ipsum paroxysmum attinent idem ille Auctor sic tradit:
qui Podagrī morbi sunt, hi sedata inflammatione in quadraginta diebus
decedunt, modo (ut Galenus addit in commentariis suis) Medicus
agit quod officii est, simulque æger obsequens sit. Ita etiam artri-
tide, & Podagra laboranti si tumor, urina spissa, ac veluti jumento-
rum turbida, aut varices supervenerint, bonum, morbi enim solutionem
promittunt.

C A P U T I X.

CAUSA morbi inventa, admovenda est Curatio. Recte alicubi Ferne-
lius inquit: selet uniusquisque ea fere commendare que plurimum sunt
feliciter expertus; sed ego cupiens ad curam aliquid addere, quia ex
proprio parum aut habeo nihil, ex alieno mutuari cogor. Velim igit-
tur ad hæc duo diligentius attendi. Unum est, ut malum suffocando
exquisitiissima vivendi ratio habeatur. Alterum, ut ipse morbus, si
præcaveri amplius non potest, quam idoneis medicamentis expugne-
tur.

A R T I C U L U S I.

PRimum complectitur verus rerum non-naturalium usus, circa quem
quid observandum sit nunc hisce dabo:

I. Aer queratur serenus, temperatus, id est, nec calidior, nec fri-
gidior;

gidior; hic humores liquat, magis fluxiles facit, ille frigus infert nervos partibus inimicum. Summe nocet qui refertus est peregrino sale, aut vento perflaturo ex Boreali & Occidentali mixto, unde (Sylvio teste) spiritus acidus in corpus introducitur, aut saltē (quod dicitur Auctor putat magis probabile) impeditur ejusdem per spiritum voluntatem contemperatio; & forte ita afficiendo cerebrum, nervos, vel glandulas, ut spiritus animalis ad ipsas non deferratur, vel delatus non admittatur.

II. Cibi conducunt boni nutrimenti, faciles digestu, & excretoris vacantes. In genere fugiendi sunt (est enim nimis longum sigillatum omnes recensere) multum aromatici, fumo exsiccati, crudi, aquosi; item qui copia salis, sacchari, piperis, vel acetii scateant, aut facile putrefacient. Circa cibos hoc praeципue monendum est, ut non permisceantur variii in una mensa. Deinde ne ad satietatem venter repleatur. Novus etiam non sumendus, nisi priori perfecte cocto ac distributo. Coena prandio semper parcior sit, vel in totum ab ea præstat abstinere. Comedantur capones, perdices, lepusculi, pedes vitulorum & vervecum, carnes cervinæ, avium montanarum, columbarum sylvestrium, & similes aliae. Sorbitonibus & jusculis parcissime utendum, & assis potius quam elixis, ut omni ratione corpus siccum servetur, noxiique humores plane excludantur. Inutiles sunt plerique pisces, item caseus, legumina, diversi fructus, maximeque horarii.

Potus sit cerevisia tenuis à fardibus suis probe repurgata. Minime tutus est liberalior vini usus, quia maxime nervos ferit, præfertim quando vel ante cibum, vel statim à pastu sumitur. Abstinendum ab omni potu, cum in ventre cibus concoqui cœpit, hoc est, interposito inter prandium & coenam tempore non bibendum, nisi manifesta causa potum expostrulet. Vini loco & cerevisie usurpari commode poterit infusio herbae Thee; nec non Coffee cum multa glycyrrhiza, ut tali modo serum acrius diluatur, per urinæ vias postea educendum. Si cui decoctio Ligni Guajaci, Sassafras, Radicum Chynæ, aut Salsæ parilæ magis videatur convenire, cum eo non contenderim.

III. Exercitatio moderata mirifice prodest, eaque ante cibi usum instituta; intempestiva autem, vel modum superans summe lœdit. Et si quid efficax sit ad morbi suppressionem, sane illud est quod Hippocrates scripsit: exercitium sanitatis, non satiari cibis, & impigerum esse ad labores.

12 D I S S E R T A T I O M E D I C A

IV. Somnus convenit mediocris. Mox à cibo qui capescitur noxius est, aut nimis longe qui protrahitur.

V. Excernenda & retinenda ita sese habeant: alvus ac vesica quotidie reddant foeces suas, vel levi pharmaco officium præstent. Nimirum Venus, quæ alioquin moderata in assuetis sæpe utilissima existit, omnium maxime nocet. Hinc Hippocrates dicit eunuchos ac pueros ante usum Veneris Podagra non laborare. Quod intelligendum est, modo temperantes vivant. Scribit enim Hollerius se eunuchum Podagricum nosse, eumque graviter ægrum.

VI. Tanquam summi hostes evitandi motus in animo vehementes, ira, terror, tristitia, hisque similes. Fugiendæ curæ, solicitudines, intensiores cogitationes, imprimis frequentes meditationes. Omnipotente ad hilaritatem æger se componat.

A R T I C U L U S I I .

Secundum præstat Medicina proprie dicta, quæ auxilia fert, quibus morbum pellas, si diæta nequeat præservare. Studebimus ergo paroxysmum prævenire incidendo venam, purgando corpus per superiore, per inferiora, per habitum.

I. Tundatur vena si vires ferant, sanguis in corpore abundet, ab eoque periculum exspectetur; aut solitæ quædam vacuationes suppri- mantur. De frictionibus, cucurbitulis, cauteriis (è quorum numero moxa est) & vesicantibus non dicam, nisi vellem actum agere. Jam enim hoc à Sennerto, Spigelio, aliisque multis egredie præstitum fuit.

II. Vomitum excitabimus quando ventriculus saburra scatet, humores sursum vergunt, ad vomendum facilitas est, & vires satis constant. Non igitur anxie medicamenta quæremus, cum huic scopo faciliter inserviant nunc concinnanda:

R. Tartar. Emeric. gr. viii.

Conserv. Rosar. Pallid. 3j.

M. F. Bolus.

Cui haustus magis placet, illi sequens propinetur:

R. Cro-

A I O N A U G U R A L I S.

ii

R. Croci Metallor. gr. xvij.

Macerentur per noctem in vini albi Gallici 3ij.

Mane per chartam emporeticam facta colat. addes

Oxymell. Scyllitic. 3v.

M. F. Hanstus.

III. Si autem prudens & sciens Medicus ex quibusdam signis judicaverit satius esse per alvum ducere, id consequetur facile (post sufficientem scilicet correctionem) exhibito bolo ex Mercur. Vita Correct. gr. iii. iv. v. & Conserv. Rosar. S. Q. Vel

R. Elect. Hieræ Picre 3iij.

Resin. Falappa,

Scammon. an. gr. iv.

Ol. Junip. Gutt. iv.

M. F. Bolus.

Pilulas si quis velit, sumantur Arthriticæ, quas Pharmacopea Ultrajectina habet, aut parentur tali forma:

R. Extract. Catholic. 3ß.

Mercur. Dulcis 3ß.

Diagryd. gr. vi.

Ol. Macis stillat. gut. iv.

M. F. Pilulae N°. x. pro duplice dosi.

Sed quoniam hoc in casu convenientissimum est per enemas evacuare, optime proderit subscripta species pro Vino Medicato, quam communicavit nobis in collegio suo pratico Clariss. D.D. Munniks, Anatomicus dexterinus, experientissimus Practicus, Botanicus insignis, Praeceptor ac Ductor meus facillimus, ob innumera quæ in me contulit beneficia devincto gratoque pectore ætatem maxime colendus;

R. Rad. Helen.

Turbith. an. 3ij.

Falapp.

Cort. Aurantiæ. an. 3ij.

B 3

Herb.

64 D I S S E R A T A T I O M E D I C A

Herb. Chamœgypt. 3ij.

Summitat. Centaur. Minor. 3ij.

Baccar. Junip. 3j.

Fol. Senna Mundat. 3vj.

Aloës, Sem. Carni an. 3iv.

F. ex his S. A. Puppa suspend. in Vini albi Gallic. Lib. iv.

Hinc cærotans bibat semel vel bis de die haustum, pro ut plus vel minus dejecerit.

IV. Sudores quando provocandi erunt, multum faciet hoc decoctum, quod magnarum virium testatur modo laudatus Practicus:

R. Rafur. Ligni Guajaci 3vj.

Sassafras 3j.

Rad. Salsa parill. 3iij.

Macerentur per noctem calide in aqua communis Lib. vii, dein coquantur S. A. addendo,

Rad. Turbibr. 3vj.

Hermodactyl. 3j.

Herb. Chamœgypt. M. iii.

Glycyrrbib. Raf. 3vj.

F. Colat. Lib. iv. Unde mane ac Vesperi sumatur Haustus largior, & in lecto copiosissimi sudores proliciantur.

Præterea nonnulli etiam in usum vocant quæ urinas & salivam movent; sed hæc qua forma præscribenda, qua ratione administranda sint passim videre est in Practicorum libris, qui consulantur.

A R T I C U L U S III.

Hisce oīnibus serio adhibitis si malum nesciat cedere, verum quotidianè exasperetur summis cum doloribus, in id ante omnia incumbendum, ut quam celerrime symptomatum vehementia mitigetur, demulceaturque. Quod partim internis, partim externis perficiemus.

I. Ex internis sunt Opata omnia, cæteraque Anodyna, Mithridatum, Diascordium, Philonium Romanum, ac longe plura quæ ex ordine apud Sylvium reperias, & Willisium,

II. In-

I N A U G U R A L I S. 15

II. Inter externa numero cataplasma, emplastra, litus. De quibus hoc monendum habeo, ut non nisi cum maxima cautione usurpentur, ab illisque abstineatur simul ac dolores imminuti sunt.

I. Cataplisma fieri potest ex lacte dulci, mica panis & spiritu salis ammoniaci. Paratur etiam e baccis lauri, mica panis & sale communi in aqua pluvia vel fontana decoctis; aut

R. Farin. Rad. Althea,

Sem. Lini,

Hordei, an. 3ij.

Coltis in lacte dulci ad

Pultis consistentiam adde

*Pulu. Croci 3*b.**

M. F. Cataplasma, quod mediocriter calens applicetur.

ubi cruciatus immaniter urgent, cestusque adeat vix ferendus, in locum lactis substituatur lac ebutyratum, addaturque paululum Opii.

II. Emplastrum Sylvius laudat ex sola Theriaca, quo saepe magno cum fructu se usum scribit. Conducit aliquando etiam illud quod Barberette habet in Praxi Medica, ejusque haec est descriptio:

R. Minii,

Cernuæ,

*Sapon. Venet. an. 3*x.**

Ol. Olivar. lib. ij.

*Axung. Porcin. 3*j.**

Coq. ex arte in formam Emplastri.

Quibusdam pro arcano inservit Emplastrum de Gummi Caranna, quod in hunc modum componitur:

*R. Caranne 3*j.**

*Cera Flava 3*b.**

Ol. Verbasc. Q. S.

M. F. Emplastrum.

III. In-

III. Inunctiones prosunt ex aquâ theriacali, spiritu cochleariæ, sp. vini simplici, camphorato, juniperino, quibus & addi possunt sp. salis armoniaci, cornu cervi, urinæ &c. &c.

ARTICULUS IV.

Finitis, aut maxima ex parte sublevatis doloribus, id agendum sufficeret, ut quicquid vitiosi humoris per articulos disseminatum fuerit sensim digeratur, ne in tophum concrescat, partesque adeo firmentur, ut non posthac fluxionem tam facile suscipiant.

Atque hæc pauca sunt quæ ex multis placuit congerere, plura qui cupit, imo totum de *Podagra* volumen, Hippocratem aeat in Aphorismis, consulat Fernelium, Forestum, Willisum, Sennertum, Platerum, Sylvium, Gorræum in definitionibus, Sydenhamium, Spigelium, aliosque Auctores Medicos.

